



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Megaris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

cenſu. Oſtraciſmus ab Athenienſibus excogitatus, virtutis perniciēs, quo exulabat qui maximè retineri in vrbe debuerat: nomen habuit ab Oſtreis in quibus nomina optimi cuiuſque, atque excellentiſſimi deſcribentur. Areopagitæ hîc iudicabant in foro, vel colle Martis (Areopagum dicebant) homines integerrimi, fucatæ orationis, & artiſicioſæ hoſtes. Cùm diu Mari potiti eſſent, à Lyſandro deuicti ſunt: atque ab eo tempore plura eis conſeſſa ſunt à Principibus propter celebritatem gentis, quàm fortitudinem.

N V M. 2. *Megarıs, & Megarenſes.*

NOMEN. Fuit Megaris pars Atticæ, vt ex Plinio liquet, priuſque *Niſea* dicta eſt, & incolæ Niſæi à Niſo Pandionis filio, vno ex 4. cui pater Regionem hanc reliquit, à quo Niſa ciuitas condita eſt, quæ poſtea Megaris nominata eſt.

QUALITAS. Tota hæc Regio aſperior fuit, atque Atticæ planè ſimilis.

MORES. Megarenſes aliquid de moribus Athenienſium, & Corinthiorum referebant ob Conuenas vtriuſque gentis. Olim fuere ditiffimi, verùm ſeditiones ad vltimam inopiam eos redegere.

POLITIA. Olim Attici iuris fuit: poſtea Niſum habuere Regem: exinde Democraſticus ſtatus in eam irrepiſit, cui ſucceſſit Oligarchicus, oppreſſus ſæpe ab Athenienſibus: tandem Romanis ſubditi, communem cum Græcis omnibus ſeruiere ſeruitutem.

N V M. 3. *Bæotia, Bæoti, & Thebani.*

NOMEN. Dicta eſt olim *Aonia* ab Aone Rege filio Neptuni, vel vt alij malunt à Monte, aut à populis Aonibus. *Bæotia* autem vocata eſt, vel à Bæoto Neptuni filio qui ſic dictus eſt, quia primùm natus Boum ſimo oblitus eſt à matre, vel certè nomen accepit à Boue, qui Cadmo dux extitit. Legitur quoque dicta *Meſſapia*, *Ogygia*, & *Cadmeis* à Ducibus variis.

QUALITAS. Regio hæc fertiliffima fuit, ſed aère & cælo paulò craſſiore yſa, vnde incolæ ſtolidi credebantur, *Bæotum in patria, craſſoque ſub aère nati*. Multæ hîc cauernæ, atque ſpecus, quare terræ moribus frequenter concutiebat.

MORES. Oderant literas Bæotij: vino deditiffimi erant, ſacrificiis & ſuperſtitionibus addictiffimi. Apud eos nefas erat infantem